



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt II. [i.e. XI.] Materia Contemplationis Iesv Christi Salvatoris nostri & ampliſſima & utiliſſima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

JESU Christi, exegerit. Et ut alia prætermitam, in Christo Domino divina & infinita emicat sapientia, qui tanta ac tam ineffabilia media, & inter ea præcipuè unionem hypostaticam pro humani generis salute excogitavit. Ac demum, nullum est Dei attributum, & nullæ perfectio, quæ in Christo Domino perfectius ac sublimius quàm in omnibus rebus creatis simul acceptis non conspicitur. Quare meritiò de seipso Ioannis 14. dixit: Ego sum via, veritas, & vita. Dicitur autem Christus via: ut enim via est, per quam à termino uno ad alterum fit transitus, ita per Christi humanitatem ad Divinitatis cognitionem sublevamur: Ephes. 2. Per ipsum habemus accessum ad Patrem. unde præclare Augustinus lib. 11. de civit. cap. 2. Homini, inquit, est iter ad DEVM per DEVM & hominem, qui est Christus. D. Basiliius verò lib. de Spiritu sancto cap. 8. Non solum per viam intelligit quantum ad opera iustitiae, ad qua Christi vitæ ducimur; sed etiam illuminationem scientiæ, ducentem ad legitimum profectum semper ad interiora festinantes, & ad ea que restant nosmetipsos extendentes, donec perveniamus ad beatitudinem, qui est DEI cognitio. Hæc Basiliius.

CAPVT II.

Materia Contemplationis IESU Christi Salvatoris nostri & amabilissima & utilissima.

ILLE igitur qui querit spiritualibus deliciis abundare, debet iuxta vires sibi à Domino collatas huic contemplationi insistere, & Christo crucifixo fortiter adherere. Desudet huic thesaurò abscondito effodiendo: fodiat in altum exultans, sicut qui effodiunt thesaurum, gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum. Quætere autem oportet: hunc thesaurum in profundo Divinitatis, qui à sapientia trahitur de occulto, ubi verè inveniet aurum margaritarumque copiam; multiplicem inquam scientiam, profundam sapientiam, miram cordis munditiam, ac plurima alia scitu dignissima de Divinitate cognoscat, quæ sub humanitatis cortice latent. Hæc autem Christi utilissima contemplatio copiosissimam continet materiam. Nam modò Christi mysteria, ut incarnationis, Nativitatis, &c. modo ejus amarissimam Passionem & crucem intrantes, ad Divinitatis cognitionem altissimam sublevamur; ac ingredientes ad illam, acriter ad humanitatem egredientes, tam in ingressu quàm in regressu palcæa uberrima invenimus. Sunt innumera alia contemplationum Christi species, quas puræ mentes intellectus dono illustratæ, suavissimè uno intuitu conspiciunt.

Omnia verò, quæ ad Christi Domini contemplationem spectare possent, S. Bonaventura ad septem capita in lib. de parvo bono, particula 3. revocavit: Nunc, inquit, breviter tangamus, qualiter contemplando ad veram sapientiam pervenitur. Per contemplationem namque, transit mens nostra ad supernam Ierusalem, ad cuius instar Ecclesia est formata, secundum illud Exodi 25. Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi monstratum est in monte: Et infra: Gradus autem perveniendi ad splendorem veritatis, ad quem pervenitur imitatione Christi, sunt septem; scilicet assensuræ rationis, affectus compassionis, aspectus admirationis, excessus devotionis, amplexus assimilationis, amplexus Crucis, & intuitus veritatis. In quibus hoc ordine progrediendum est.

Primò considera, quæ est qui patitur, & ei subsistere per rationis assensum, ut credas firmissime, ip-

sum veraciter esse Dei Filium, omnium rerum principium, Salvatorem hominum, & retributorem meritorum omnium.

Secundò considera, qualis est qui patitur, & ei configurare per compassionis affectum, scilicet ut ei compararis tamquam innocentissimo, mirissimo, nobilissimo, & amantissimo.

Tertio considera, quantum est qui patitur, & ad ipsum egredere per admirationis aspectum, & attende quod ipse est immensus potestatis, speciositatis, felicitatis & aternitatis. Igitur admirare immensam potestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, aternitatem mori.

Quartò considera, quæ de causa patitur, & respicere per devotionis excessum: quia patitur scilicet pro tua redemptione, illuminatione, sanctificatione, & glorificatione.

Quintò considera, qualis forma patitur, & ipsum induere per assimilationis amplexum. Passus est enim sicut verus agnus, libentissime respectu proximi, reverentissime respectu sui, obedientissime respectu Patris, & prudentissime respectu adversarij. Stude igitur ad habendum habitum secundum effigiem imitationis Christi, scilicet benignitatis, humilitatis, severitatis, & perspicacitatis.

Sextò considera, quantum sint quæ patitur, & Crucem amplectere per passionis desiderium, ut sicut Christus passus est vincula, ut impotens omnipotentia; convicia, ut vilis bonitas; ludibria, ut stulta sapientia; & supplicia, ut iniqua iustitia: sic & tu considera passionem Crucis, hoc est passionem plenam in iurijs in rebus, contumelijs in verbis, ludibrijs in signis, & supplicijs in tormentis.

Septimò considera, quid ex hoc consequatur quod patitur, & veritatis radii intueri per contemplationis oculum: quoniam ex hoc quod agnus passus est, septem signacula libri aperta sunt: Liber iste est universalis verum notitia, in qua septem erant clausa homini, quæ quidem sunt per passionis Christi effectum reserata: scilicet DEVS admirabilis, spiritus intelligibilis, mundus sensibilis, Paradisus desiderabilis, infernus horribilis, virtus laudabilis, reatus culpabilis.

Primò enim, DEVS admirabilis manifestatus est nobis per Crucem esse summa & inscrutabilis sapientia, summa & irreprensibilis iustitia, summa & inenarrabilis misericordia: summa enim sua sapientia deceptit diabolum, summa sua iustitia quæ servit redemptionis precium, summa sua misericordia pro nobis tradidit Filium suum. Quæ si diligenter considerentur, Deum nobis clarissime manifestant.

Secundo, Spiritus intelligibilis nobis manifestatus est per Crucem secundum differentiam triplicem, scilicet quantum ad Angelos, quantum ad homines; & quantum ad damones; Nam Angeli permiserunt crucifigi Dominum suum, DEI Filius crucifixus est propter genus humanum, & hoc ad crudelem suggestionem demonum.

Tertio, Mundus sensibilis nobis manifestatus est per Crucem, quoniam est locus tenebrarum plenus, in quo regnat cæcitas, quoniam lucem veram & summam non cognovit; regnat sterilitas, quoniam IESUS Christus tamquam infructuosum despexit, & regnat impietas, quoniam DEVM & Dominum suum & amicum innocentem damnavit & interfecit.

Quartò, Paradisus desiderabilis nobis manifestatus est per Crucem, in quo est sabbatum totius gloriæ, speculaculum omnis lætitiæ, & promptuarium omnis opulentia. Vnde DEVS propter illam habitationem nobis restituendam, factus est pro nobis homo, scilicet vilis, miser, & pauper. In quo celsitudo abiectionem induit, iustitiarum suavit, opulentiæ egestatem suscepit.

ne Christi eruen- di, sepiè in illa confide- rando conditio- nes ac circum- stantias.

Septem homini manifestantur per Christi passionem.

Nam

Septem affectus è passio-

JESU

Nam altissimus Imperator accepit servitutem abjectam, ut sublimaremur in gloriam: iustissimus iudex subiret atque penalissimum, ut iustificaremur à culpa: opulentissimus Dominus subiret egestatem extremam, ut locupletaremur in copia.

Quintò, Infernus horribilis nobis manifestatus est per Crucem, locus utriq; plenus omni egestate & penuria; vilitate & ignominia, & omni calamitate & miseria. Unde si necesse fuit hac Christum pati propter peccati deletionem, multò fortius oportet hac pati damnatos propter justam meritorum suorum retributionem.

Sextò, Manifestata est nobis per Crucem virtus laudabilis, quantum scilicet sit pretiosa, speciosa, & fructuosa. Verè pretiosa, quia potius voluit Christus vitam corporalem perdere, quam virtuti contraire: verè speciosa, quia in ipsi contumeliosè relucebat: & verè fructuosa, quia unus actus perfecta virtutis, infernum spoliavit, calum aperuit, & perditam restituit.

Septimò, Manifestatus est nobis per Crucem reatus culpabilis, quantum sit detestabilis, cum ad sui remissionem indigeat tam magno pretio, grandi piaculo, & tam difficili medicamento. Ecce igitur habes, quomodo in Cruce omnia manifestantur, si bene ad hac septem reducantur; omnia enim ad hac septem reducuntur. Unde ipsa Crux verè beata, est clavus, porta, vis, & splendor veritatis. Hæc Bonaventura,

CAPUT XII.

De suavissima Vulnerum Salvatoris contemplatione.

REQUIES tutissima ac dulcissima simul in Vulneribus Christi ac ejus visceribus, piis patet contemplatoribus. De quibus sanctus Bernardus scribens *Serm. 62. in Cantica*, postquam de sublimiori Divinitatis contemplatione egerat, ad Vulnerum Christi contemplationem descendens ita inquit: *Sicut ne hoc quidem possibile sit, huic sanè proponet IESVM, & hunc crucifixum, ut & ipse absque suo labore habitet in foraminibus petra, in quibus non laboravit. Nec verendum quòd patiatur repulsam, qui & vocatur ut intret. Ingredere, inquit, in petram, abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria majestatis ejus. Infirmus adhuc & inerti anima, (qua juxta quod in Evangelio quidam de semetipso confitetur, fodere non valet, mendicare erubescit.) fossa ostenditur humus ubi lateat, donec convalescat & proficiat, ut possit & ipsa per se sibi cavare foramina in petra, per qua intret ad interiora Verbi, animi utriusque vigore & puritate. Hæc ille.*

Pleniùs verò Hugo de S. Victore de anima lib. 4. cap. 10, hanc Vulnerum Christi contemplationem devotè describit dicens: *Tuta & firma requies est infirmis & peccatoribus in Vulneribus Salvatoris. Securus illic habito; patent mihi viscera per Vulnera. Quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei; quoniam misericordià affluunt, nec desunt foramina per qua effluant. Per foramina corporis patet mihi arcium cordis, patet*

magnum pietatis sacramentum, patet viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit ois Orientem ex alto: *Lucæ 11. Vulnera Christi plena sunt misericordiâ, plena pietate, plena dulcedine & charitate. Foderunt manus ejus & pedes, & latus lancea foraverunt: Psal. 21. Per has rivas licet mihi gustare quoniam suavis est Dominus meus: quoniam verè suavis ac mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus eum in veritate, Psal. 33. omnibus inquirentibus, & maxime diligentiùs.*

Copiosa redemptio data est nobis in Vulneribus Inventionis Salvatoris nostri. Magna multitudo dulcedinis, & gratia plenitudo, & perfectio virtutum. Cum me pulsat, ut aliquid turpis cogitatio, recorro ad vulnera Christi, cum de me premit caro mea, resurgo recordatione Vulnerum Domini mei. Cum diabolus parat insidias mihi, fugio notam ad viscera Domini mei, & recedit à me. Si ardet charitas libidini moveat membra mea, recordatione Vulnerum Filij Dei extinguatur. In omnibus adversis remediis non invenit am efficax remedium, quam Vulnera & dolores Christi. In illis dormio securus, & requiesco inter dolores. Christus mortuus est pro nobis. Nil tamen est illi ad mortem, quod morte Christi nobis non salvatur. Tota spes mea est in morte Domini mei: mors ejus mortuum meum, refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea.

Et paulò post: *Non possum terredi multitudinem peccatorum, si mors Domini in mentem venerit, quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi & lancea clamant mihi, quòd verè recedat à me Christus, si eum amaverò. Longinquè aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intravi, & ibi requiesco secum. Qui timet, amet, quoniam perfecta charitas foras mittit timorem, 1. Ioan. 4. Nullum tam patens est & tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quam mors Redemptoris mei. Extendit brachia sua in cruce, & expandit manus suas in cruce, paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori cupio. sic Hugo.*

Sanctus Bonaventura *Tomo 2. in Stimulo amoris cap. 3. breviter hujus contemplationis dulcedinem expressit dicens: Secundum est ut vitara, quantum potes, Christo compari pro te passo. Vbi enim & semper ejus passionem, & mortem sibi crudelissimam & penosam, sed nobis necessariam & dulcorisam, debes in corde tuo assidua meditatione pensare. Nisi enim sibi compatiendo noverimus nos compari, secum non poterimus jucundari. Si autem bonè ejus Passionem fueris meditatús, & multum introverseris latus ejus, certè pervenies ad cor ejus. O felix cor, quòd sic cordi Christi dulciter colligatur! cuius latus sub capite ejus, & dextera amplexatur! Reclit tunc sponsus cum sponsa in cubiculo requiescit. Sed observate, o anima, mihi narra dulcedinem quam tu sentis, quæ solet mihi deliciis quibus cum sponso tuo Christi affluis, non occultes. Sed ut bene videas, me non audis, quia cor tuum absorptum est nimio præ dulcore: jam tui interpretis existens in carcere es oblita. Certe enim te sic amantate nimia esse raptam, ut jam non sit tibi vox penitus neque sensus. Quicquidque autem ad contemplationis quietem & dulcedinem nisi per Christi lateris ostium vulneris introire, fuerim seraperest & latrorem. sic Bonaventura.*

Dolere magna reponit in vulneribus Christi.

Specul apullimam Deum contem plan d estani borju

DE-

Thom
Oper
Te
O